



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Rebus Iaponicis// Historica// Relatio,

Froís, Luís

Moguntiae, 1599

VD16 F 3085

De Pietate A Christianis post dictam necem declarata. Capvt Vltimvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64472)

uno alteroque ictu breuissimo tempore exanimarunt. Si quis signum adhuc vitæ daret, eum iterato ictu confodiebant. Atque hic licuit cernere Christianorum circumstantium ardorem, qui per medios satellites, fustuario eorum neglecto, ad cruces accurrere, alij ut sudaria sua martyrum sanguine imbuerent, alij ut ex vestium limbo aliquid detraherent, alij, ut reliquiarum loco, aliud aliquid auferrent.

Hic fuit militum Christi felix exitus, qui fortiter dimicantes, gloriosam ex hoste retulere victoriam. Ut autem innocentia eorum omnibus patefieret, permisit DEVS, ut Fazamburus curaret hic erigi hastam, in qua descripta erat mortis sententia.

*DE PIETATE A CHRISTIANIS
post dictam necem de-
clarata.*

CAPVT VLTIMUM.



QUAMVIS Fazamburus non parum succenderet ijs, qui sancta quadam vi reliquias quasdam à seruis Dei eripuissent, ideoque mandasset satellitibus, ut fustibus cogerent omnes ad repetendum Nangasachum; tamen postquam domum redijt, tam multi vndique confluxere, ut aliquid de vestibus Martyrum abscinderent, ut multi in crucibus manserint non satis decenter coniecti, & singillatim nouem religiosi. Quare prouisor confraternitatis Misericordiæ eorum corpora certis storeis, loco vestium, operiri curauit.

Eadem religione multi etiam à remotis regionibus

nibus tanto numero concurrere, vt Fazamburus cō-
 pulsus fuerit duplicatis custodib⁹ aditum eis præclu-
 dere; ipsiq; militū ducibus sub vitæ amittendę pœna
 iubere, ne vllum crucifixorum corpus sinerent aufer-
 ri. Verum nec hac seueritate cohiberi potuit eorum
 pietas; permulti enim prætextu aliorum negotiorū
 transigendorum versus collem illum deflectebant,
 tantum vt reliquias seruorum Dei venerarētur. Mul-
 ta alia in hoc argumento adiungi possent, quæ breui-
 raris causā prætermitto. Id tantum dico, ex glorioso
 hoc martyrio illum extitisse fructum, quod omnes
 Christiani, tam veteres, quam noui egregiè in sancta
 fide sint confirmati, viuumq; æternæ salutis deside-
 rium in se excitarint, ac firmiter apud animum suum
 constituerint pro cōfessione Christiani nominis vitā
 dare. Iamq; animaduertūt huius martyrij prognosti-
 con fuisse cruces miraculose repertas alterā in Oba-
 ma anno 89. alterā in Faconda, anno 92. Quare & fir-
 missima spe tenentur vberrimæ messis consecuturæ.
 Ipsi quoq; gentiles qui spectaculo interfuerunt, ve-
 hemēter commoti sunt ex gaudio, quo viginti illi Dei
 serui crucem conscenderunt, & fortitudine, qua, cer-
 ti de cœlesti præmio omnem humanam intelligentiā
 longe excedente, mortem tolerarunt. Et iam nō-
 nulli Nangasachum, recipiendi sacri lauacri
 causā, quod obnixè postulant,
 aduenerunt.

F S

HI.

